



**Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis**

**Sang, Eucharius**

**Wirceburgi, 1607**

Capvt XVI. Diuinitus, grauissime ab equo læsus, valetudinem recipit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64129](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64129)

Damasce.  
ser. 2 de  
dormitio:  
Deipara.

Aue gaudij pelagus inexhaustum; aue unicum mo-  
lestiarum leuamen; aue omnium cordis dolorum medica-  
mentum. aue S. Maria, per quam mors fuit expulsa,  
vita autem introducta.

## C A P V T XVI.

Diuinitus, grauissimè ab equo  
læsus, valetudinem recipit.

**N**ecum Beneficiorum, in sacello Dettel-  
baccensi acceptorum, finis. Anno enim  
M. D. XI. Cenobij Virceburgensis,  
cui à protomartyre Stephano nomen est, Antistes,  
quendam suos inter famulos alebat, qui rusti-  
canum prædium in vico Dürbach curaret; sed  
eheu, non satis ille seipsum; Adelbertus vocabatur.  
Die enim quadam cum incautiùs equum, opini-  
one sua mansuetum, tractat, ab eo calce petitus in  
terram prosternitur, & confessim è naribus, auri-  
bus, ore, largissimè crux manat. Hominis ante  
serui, nunc saucij & vulnerati, infortunio magno  
euocati vicini, adsunt, & crux vulnereque defor-  
matum in domum referunt, certò persuasi, mox  
motitum. Cærum sacrum, si habuissent; ut po-  
teagenti animam & iam expiraturo; dedisset in  
manus. Animo itaque consternati cuncti, magnæ  
Virginis opem, alia cum non affulgerent præsidia,

inuo-

inuocant; & votiuam ad ipsum facellum Marianū peregrinationem addunt. Audiuit vota precesq; Deus, ac Diua. Morti quām vitæ vicinior, mentem recuperat; votumq; inaudiens sui causa emissum, probat; & integrè, verbo vno, conualescit; nec vulneris alicuius in eo appetat cicatrix. Sanus ergo ac latus, altero, à vulnere accepto, die, Dettelbachium proficiscitur, illicq; salutis suæ agnoscit & prædicat auctorem. Fuere miraculi testes, Conradus Cænobij Antistes, Procurator item peni, alijque loci incolæ. Ad hæc quid improbi? Ringuntur. Intime gaudent boni. Hos imitemur; & perenne per Diuam, à D E O, petamus gaudium.

Finiet iam vetera domicilij Mariani Beneficia, Vir morbo Gallico deformatus. Inter vasa namque aurea, & terreum subindè abacum exornat.

## C A P V T X V I I .

### Vir, morbo Gallico laborans, sanatur.

**S**A N N O M. D. XI. non procul Forchemio, in pago Eckelshaim, vir quidam, Martinus nomine, morbo Gallico inficitur. Sed quis ille morbus & vnde? Maioribus nostris, nec visus, nec cognitus. Lues est, qua caput, & barba depilari solent, faciesq; mirum in mo-

dum